Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26122
Copyright: Admont, Benediktinerstift

dubitationem. Sed et de ipsa quid universi quique veterum scriptorum senserint in tempore
proferemus. Et libellus Hermae qui appellatur Pastoris, cuius Paulus in epistolis su-
is meminit, a plurimis non est receptus; ab aliis autem necessarius iudicatus
est, propter eos qui primis ad fidem institutionibus inbuuntur. Unde et in nonnullis ecclesiis
legitur. Et multi veterum scriptorum usi sunt testimoniis eius. Haec interim nobis
praemissa sint de divinorum librorum fide, quam mox etiam veterum adstipulati-
one firmabimus. CAPITULUM IIII.

PAULUS dicitur quod ab Hierusalem in circuitu usque ad Illyricum gentibus
evangelium praedicaverit, ex ipsius vocibus comprobatur, et ex his quae Lucas
in actibus scribit. Sed et Petrus in quibus etiam ipse provinciis his qui ex cir-
cumcisione sunt praedicaverit Christum, propriis vocibus in ea epistola quam ipsius absque
ambiguitate claruit esse designat, in qua ad eos qui in dispersione sunt
scribit, sine dubio Hebraeos. Ipsi etenim dispersi dicuntur tamquam propriis
sedibus pulsi, expositi in dispersione ut ait ipse Ponti, Galatiae, Cappa-
dociae et Asiae ac Bythiniae. Ex quibus siqui extantes in fide et aemula-
tores ubi dei reperti sunt, etiam regendas ecclesias quas apostoli fundaverant
susceperunt. Quorum nomina non est facile explicare per singulos. Ex apostoli Pau-
li tamen sermonibus colligere possumus permultos esse quos ille nunc adiuto-
res, nunc commilitones, nunc etiam concaptivos et conlaborantes in evangelio
et comites nominat. Sed et Lucas in actibus apostolorum plurimos eius socios
memorat et participes praedicationis, sicut Tymothei meminit ac
Tyti, quorum alter in Epheso episcopus, alter ordinandis apud Cretam ecclesiis
ab eo praeficitur. Ipse autem Lucas genere quidem Antiocenus, arte medicus,
comes vero Pauli et ceterorum apostolorum socius et necessarius fuit. Is ergo secundum hanc
medicinam quam ex apostolorum vel societate vel traditione susceperat, duos nobis
medicinales libros, quibus non corpora sed animae curentur, explicuit.

v.